



§. XIV.

Alius dubii decisio.

IV. Dicunt: Talis fideiussor, si fideiubet sine animo solvendi, est in dolo, cum semper sciat vel scire possit se non teneri; dolus vero nemini debet patrocinari, sed puniendus et tamquam expromissor solvere tenetur. Speciem quoque prae se fert hoc argumentum, sed nihil habet in recessu, etiamsi totum concedamus, nil tamen contra nos. Nam creditor quoque scivit, fideiubentem non teneri deficiente debito principali, et tamen filiofamilias credidit, nonne quoque eo ipso deliquit et Sctum offendit cum contra legis prohibitionem filiofamilias crederet? Imputet ergo sibi: damnum sentit sua culpa, quod sentire non videtur, cum admiserit fideiussorem, de quo scivit aut scire potuit, eum non esse obligatum. Talis quoque, qui pro filiofamilias fideiubet, se obligat ad solvendum, quatenus lege ad solutionem erit obligatus, ergo non est in dolo.

§. XIV.

Alia adhuc obiectio refellitur.

V. Tandem regulae meae supra §. VII. allegatae: fideiussorem, si mandati non habet actionem

nem